



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetii, 1706

Deputationis Prædicatoris Form. XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

decis. *Apostol. collect. 122. num. 4.* Nicol. lucubr. *Can. lib. 3. tit. 1. de vit. & honest. Cler. n. 17.* ubi Decretum *Sacr. Congreg. Rituum sub die 20. Novembris 1628.* quod affert quoque Gayant adducit.

7. **PER TE IPSUM.** Additur hæc clausula, ne Cappellanus arbitrium sumat substituendi alium Presbyterum non approbatum ad celebrandum in Ecclesiis Monialium, sine licentia Episcopi, sive Vicarii Generalis in casu impedimenti.

8. **AD NOSTRUM BENEPLACITUM.** Cappellani monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui, seu intitulati, ut declaravit *Sacr. Congr. Episcop. in concessione gratiæ fundationis Monasterii monialium Cappucinarum loci Caprioli Brixien. Diœcesis, referente clar. mem. Card. Petrucci sub die 18. Julii 1692.* in qua rescriptit -- *Annuendum pro funda-*

tione Monasterii juxta petita, ita tamen, ut Cappellani in Cappellaniis perpetuè erigendis sint amovibiles: juxta fancita in Concilio Aquilensi sub Clem. VIII. anno 1596. Can. 20. ubi inter dicitur celebratio Missarum in Ecclesiis Monialium Presbyteris Sæcularibus, & Regularibus sine licentia, & approbatione Episcopi.

Deputationis Prædictoris
Monialium.

FORMULA XXIV.

S U M M A R I U M.

- 1 *Concionatores pro Monialibus, debent esse viri pii, & docti.*
- 2 *Concionatores Monialium, non possunt cum illis alloqui sub quovis prætextu.*

Tibi N. cuius morum honestas, & sacrarum litterarum peritia *Nobis notæ sunt* facultatem concedimus, ut in Ecclesia exteriori Monasterii Monialium N. Monialibus ipsis in communi, & in interiori Ecclesia congrégatis Verbum Dei è suggestu, vel ex Altari prædicare lícet possis: Dummodò peracta concione, à quocumque singulari colloquio etiam spirituali, cum aliqua Moniali habendo, omnino abstineas, ne pœnas contrà regulares alloquentes Moniales sine licentia inflicias incurras, & lethali culpe obstringas. Præsentibus . . . duraturis, Datum, &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius.

ADNOTATIONES.

1. **NOBIS NOTÆ SUNT.** Verbi Dei prædicatio monialibus ministranda, non est committenda Sacerdotibus Sæcularibus, sive Regularibus, quorum mores, & doctrina notæ non sint Episcopo, quia exinde relaxatio regulæ oritur, si hi in doctrinis variis, & peregrinis laxi sint; & è converso disciplina, & observantia Regularis solidatur, si Concionator prudens, doctus in doctrina sana, & pius eligatur,

qui valeat moniales erudire.

2. **OMNINO ABSTINEAS.** Non possunt Concionatores sub quovis prætextu moniales alloqui, alias incurront censuras infictas in Decretis Sixti V. & Urbani VIII. quæ refert per extensum Donat. *prax. rer. Regul. tom. 4. tract. 6. q. 5.* & qu. 20. & in qu. 21. ubi de Concionatoribus Tamb. de jur. Abbatiss. disp. 26. q. 4. & dicam melius in Appendix Adnot. ad Decretum Urb. VIII. super accessu Regularium ad Collocutoria Monialium, ubi Sac. Congreg. Concilii resolutiones referam.

TITU-